

J. G. Heisterborn  
a. d. 1909.

DE  
*ORIGINARIIS NATURÆ HUMANÆ  
INITIIS, FACULTATEM APPETENDI  
RESPICIENTIBUS.*

---

P. I.

CONSENT. AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOENS.

PRÆSIDE

*ANDR. JOH. LAGO,  
Philos. Pract. Prof. P. O.*

VENTILANDAM,

PRO<sup>Y</sup> GRADU PHILosophico,  
EXHIBET

*FREDRICUS ADOLPHUS HOLM,  
Stip. Publ. Wiburgensis.*

In Audit. Philos. die xiv Decembr. MDCCCXIV.

h. a. m. c.

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELIANIS.



*Proæmium,*

Audebo igitur, quæ secundum naturam sunt, bona appellare, nec fraudare suo veteri nomine, potius quam aliquid novum exquirere.

CICERO.

Una licet sit facultas, qua, nosmet a rerum gyro divellentes, ad nosmet ipsos evehimus, homines liberi: absoluta, neque in partes discerpnda licet sit Ratio, maxime tamen diversam, nobis semet sistit ejus vis, prout vel in ea, quæ sint, vel in ea, quæ esse debeant, applicetur, neque temere deridenda, cui originem dedit stator Philosophiæ Criticæ immortalis, rationis in Theoreticam & Practicam distinctio. Est quidem idea absoluti ex ipso gremio rationis profecta, ab origine non degener, sibi similis semper, fixa & immota; finem, quo tendat ratio: immobile, quo omnia referat, punctum, præbens semper idem.

Re-

Regulam, ut omnia secum ipsa consentientia reddat, ex semet ipsa profectam, nunquam non sequitur ratio. Est vero diversa hujus principii constitutio, prout vel ad ea applicetur, quæ potestati hominis liberi subsunt, vel ad ea, quæ facultati cogitandi, quatenus intellectus nomine venit, materies sunt. Hoc respectu regulativum modo est, illo vero constitutivum. Qua volens, per te ipsum es, quod es, omnibus vinculis solutus: sentiendi rationem tuam, summo in te principio congruam vel repugnantem, ipse producis: virtutis in temet ipse es auctor, eique oppositi; intelligens non item. Intellectui namque data sunt omnia, necesse est. Hic in illis quæ sunt versatur, quorum neque existentia a tuo pendet arbitrio, neque leges quibus hæc determinatur. Necessitatem agnoscis, in temet positam, tibi debitam soli, eorum quæ fieri debent, moralem; at vero aliam quoque agnoscere cogeris plane diversam, eorum quæ sunt, naturæ, quam cogitando non creare poteris, neque, addendo vel demendo aliquid, mutare.

Jam vero ad nosmet ipsos animum attentes, facili observamus negotio, nobis hominibus adhærescere constitutiva quædam, formamque conjunctionis horum, quæ nos constituant, ejus indolis ambo, ut ab arbitrio nostro non pendeant; sed quæ tamen necessario requiruntur, si ens, quale ipsos nos dicimus, homo, existere poterit.

Hasce

Hasce jam partes nostri constitutivas, citra nostram opem conjunctas, ut sunt, *Initia naturæ humanæ* dicimus. Quorum originaria sunt, quæ ad possibilitatem entis, quale est homo, necessario pertineant, fortuita, quibus vel vacuum per se tamen esse possit ens. Cum itaque initia naturæ humanæ originaria loquimur, vix est ut moneamus, nosmet non jam ad hoc vel illud humani generis individuum in specie attendere, neque in iis, quæ nos invicem homines distinguant, peculiaribus, indolem unius cujusque nostrum & characterem diversum efficientibus, morari; verum in hominem in genere animum reflectere. Quæ ergo hac scriptiuncula proposituri sumus, adeo citra potestatem humanam posita, ut deleri, donec homo sit, nequeant, de omnibus in universum valebunt hominibus, & ad characterem totius generis pertinebunt. Neque tamen heic omnia consideranda nobis sumimus naturæ humanæ initia; sed ea modo, quæ ad facultatem adpetendi hominis immediatum habeant respectum, usumque ergo liberi arbitrii proxime attingant, quantum permiserit rei domesticæ tenuitas, delibabimus; quæ non persequi possimus ipsi, aliis relicturi peritioribus.

Juvenilium bene consci virum, mitem lectorum speramus expetimusque nobis censuram.

§. 1.

Initia igitur naturæ humanæ, quæ ad facultatem appetendi relationem habeant, atque ut elementa destinationis humanæ considerata fuerint, in tres classes, pro extremo cujusque diverso, abeunt, poteruntque commode hoc modo dispesci (a).

1. Dispositiones hominis ut animantis, ut entis vivi.

2. Dispositiones hominis ad humanitatem, intelligentiam: ut entis vivi & simul ratione atque cogitandi facultate prædicti.

3. Dispositiones hominis ad personalitatem & moralitatem: ut naturæ ratione præditæ & facultate cogitandi, insimulque imputationis capacis.

§. 2.

Animalis hominis natura, & quæ ei insunt elementa, eatenus considerata, quatenus facultatem appetitivam hominis, quo diximus modo, respiciunt, per tres semet exserunt ὁρμας vel impetus (h. e. incitamenta facultatis appetitivæ inter-

na

a) V. *Die Religion innerhalb der Grenzen der bloss. Vern.*  
v. IMM, KANT 2:e Aufl, Königsb, 1794, p. 15 sq.

na, ad objectum, nondum cognitum neque determinatum, occupandum), quorum *primus* ad conservationem *sui ipsius* tendit, *secundus* ad commercium *sexuale*, *tertius* in appetitu societatis cum aliis hominibus cernitur.

§. 3.

Id igitur cum cæteris animantibus, queis sui sensus inest, commune habet homo principium naturæ, ut applicatus ad sese diligendum atque in se conservando occupatus, quæ bona sibi videantur, nitatur adquirere, mala repellere, valetudinem desideret dolorisque vacuitatem. Est vero hicce intimus nostri amor ita extra nostram potestatem positus, ut *sui umquam oblitus* homo animans illum ex imo pectore evellere nec velit, nec velle queat. Instinctus porro est, citra omnem mentis nostræ opem nobis inditus, qui ex legibus causarum naturæ, nullo egens elatere, notione finium nixo, vim indelebilem suam a primo ad extremum vitæ halitum, nobis vel insciis exserat: quo fit, monente CICERONE (b) a ut simul atque natum sit animal, ipsum sibi concilietur et commendetur ad se conservandum, et ad suum statum, et ad ea, quæ conservantia sunt ejus status, diligenda; alienetur autem ab interitu, iisque rebus

b) *De finibus bonorum & malorum* Lib. III, Cap. 5.

bus, quæ interitum videantur afferre. Id ita esse sic probatur, quod, antequam voluptas aut dolor attigerit, salutaria appetant parvi, aspernenturque contraria.<sup>1)</sup> Quorsum hoc impetu tendat natura, facili negotio aperit facultas judicandi Teleologica: patet nempe in conservatione individui positum esse finem philautiæ physicæ.

§. 4.

Naturalis *deinde* hominis animantis impetus propagationem humanæ speciei, per appetitionem sexuum generis nostri mutuam, attingit, simulque sustentationem & curam sobolis, quæ ex hac commixtione procreatur. Jam quidem nobis vel insciis id efficit plerumque divina, quæ ad personæ, suapte vi, nos homines evehit ideam fastigiumque, facultas, ut passivam & brutam, quam æstus armentorum præbet, formam, ni nostra culpa adulteretur, in nobis non prodat instinctus sexualis: pudicitiæ velamen induere, libero homine dignam amoris casti in nobis ostendere faciem cogitur obscena animantis lubido. Verum tamen diffitendum non est, originem mutuæ sexuum in se invicem propensionis, hominibus cum bestiarum grege communis, non nobis esse tribuendam, sed naturæ; quod intelligi potest vel ex figura membrisque corporum.

Ne-

Neque vero his subsistit natura, mater provida & sollers; quippe quum hæc inter se congruere non possent, ut natura & procreari vellet, & diligi procreatios non curaret. Arctissimo itaque cum effectibus stimulorum suorum a semet incitatos conjunxit vinculo. Quæ etiam in bestiis naturæ vis inspici potest; quarum in fœtu & in educatione laborem cum inspicimus, naturæ ipsius vocem videmur audire, ut belle ait CICERO (c). Parentis vero in prolem affectum cum certnimus, anxiam matris, puellæ nuper mobilis & nauseabundæ, de fœtu suo curam: ardentissimum in parvos amorem, quem nec frangunt labores, nec vigiliae, nec delicatis ingrata naribus — hæc cum miramur, quid judicabimus, nisi natura fieri, ut liberi a parentibus diligentur, a natura ipsa, ut eos, quos genuerimus, amemus, ita vehementer impelli nosmet, ut difficulter admodum in contrarium niti queamus?

Extremum vero hujusce, qui dictamini rationis succenturietur, instinctus, in propatulo est: conservatio generis, præter amissorum compensationem perituri.

§. 5.

Tertium denique primorum naturæ humanæ, ad quæ, ex mechanismi legibus vim exserentium suam,

---

c) l. c. Cap. 19.

suam, ratio non postulatur, principiorum, ad communionem cum aliis hominibus impellit, atque in appetitione societatis cernitur.

Jam quidem quemadmodum animalium brutorum plurima ad societatem naturae impetu fervuntur, hominem eodem modo esse *natura φυσιον* ζωον κοινωνικον, faciliter apparent negotio. Nemo nemppe in solitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia; sed ad societatem cum aliis instinctu trahimur cuncti, juvenes pariterque senes. Quid? quod naturae sua culpa non degener, illis, quae necessitatibus accommodatissima nostris, atque ad grati sensum signendum, aptissima fuerint, tum demum cum voluptate perfruatur, cum aliorum accesserit communio. Utque ingrata quævis & aspera, quæ alius secum communicaverit, mirum in modum leniri, ita delectamentorum genus quodeunque novos accipere stimulos, homo numquam non sentiet, ubi alios viderit eorumdem participes: tumque in primis, quum suo beneficio, omni seposita mercedis spe, hoc factum fuerit. Atque adeo quidem arcto nosmet invicem homines conjunxit natura vinculo, ut quod habeat quotuscunque virtutis aut virtute partum, id sibi soli illum non habere nobis videatur omnibus. Ita magnitudo animi atque fortitudo, remota communitate conjunctioneque humana, feritas est quedam atque imma-

immanitas: rerum, sine liberalitate, abundantia raptum esse videtur; cognitio solivaga item jejuna atque abhorrens a natura, cui nihil prius est, quam conjunctio inter homines hominum, & quedam quasi societas & communicatio utilitatum. Ut nempe formicæ non fingendorum nidificiorum causa congregantur, sed, congregabiles natura, aggeres exstruunt suos, sic homines, natura consociati, cogitandi agendique sollertia adhibent: natura, non ratiocinatione, impellente, studi socium querunt, atque tum ad accipiendum, tum ad largiendum, tum ad audiendum, tum ad dicendum proni, ad ea, quæ acceperint, aliis imperitienda natura adiunguntur. De quibus, vel consulto semet ipso, qui dubitaverit, parvorum adeat balbutientium circulos.— Quæ quum ita sint, facile apparent, quid de illorum sententia sit judicandum, qui patent, adeo quidem animal non sociale esse hominem, ut ad infinitas inimicitias bellaque mutua potius natura feratur: quippe quum nullum homine ferocius esse videatur animal, aut indomitum magis, & quod in plura via, societati perturbandæ apta, sit proclive. Sic pleraque brutorum, pabuli si assatim sit, non temere quid litigi movebunt, & quantacumque sit eorumdem feritas, in genus tamen suum raro sævire solent. Ast vero homines, ajunt, vel rerum copia abundantes, invicem collidit avaritia insatiabilis, omnia sibi manibus pedibusque radens,

B

per

per fasque nefasque rapiens: agit vindictæ ardor crudelis, & quod miserrimum est, is in proprium genus furor immanis, ut malorum, quibus obnoxius vivat quisque, maxima pars ab homine proficiscatur. Sed non nisi consociatis jam hominibus oritur tetricum in alios odium & misanthropia tristis, ex antagonismo propensionum cujusque, finiumque diversorum. Ad communitatem cum aliis natura impulsus homo animans, agmine impedimentorum, ex societate nato, desideriis, affectionibus, finibusque suis obstrepentum, in numero stipatum semet illico animadvertisit intelligens, quod in molestorum obstaculorum causas odium gignit, liberoque materiem eligendi sistit dilemma: ut vel in communione maneat, conditionibusque, sine quibus existere non possit societas, respectu aliorum se submittat; vel, ruptis, quantum in se sit, coetus humani vinculis, effrenatae semet permittat licentiæ atrocique adversus alios rabiei.

Semina socialitatis, quæ hominem cum homine jungat, naturæ deberi monstrare fuimus conati. Non itaque nobis arrident eorum placita, qui ex utilitatis studio primum ortam esse inter homines communionem, ostendere annitantur. Quod nempe, ut loquitur SENECA (*d*), *singuli præda animalium sumus & victimæ, & imbecillissimus & facilimus*

---

*d*) De Benefic Lib. IV. Cap. 18.

*limus sanguis: quod hominem nudum & infirmum societas munit;* ideo desideratam hominibus esse cum aliis consortium, ut scil. inops, dandis recipiensque meritis, quo quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio: infirmus, quod non solus, auxilio aliorum efficere valeret. Sed quamquam confirmatur amor & beneficio accepto, & studio perspecto, & consuetudine adjuncta, & quamquam multi utilitatibus amicitias metiuntur; non poterit tamen in cogitatione, quantum illares utilitatis sit habitura, priuam causam habere inter homines conjunctio. Vel quid? poteritne caritatis, quæ est inter natos & parentes, quæ dirimi eadem, nisi detestabili scelere, non potest, ortus adeo humilis & minime generosus esse? Poteritne utilitas nosmet cum illis conglutinare, qui sæpe materiam dolendi, semper curarum & molestiarum præbeant? Minime. Est profecto antiquior hujusce, ut & omnis hominum communionis, & pulchrior, & a natura ipsa profecta, alia caussa: est communis hominum inter homines naturalis commendatio: ad conjunctionem congregationemque hominum & ad communitatem nati sumus.

Jam vero constat, facultatum, quibus animalia, quæ prona atque ventri obedientia natura fixit, immensum supereminens mortales, ne conscient quidem, remota societate, hominem fieri posse. Et ad easdem perficiendas atque exco-

Iendas quam mirifice contulerit, conferatque cum aliis communitas, quisque novit optime. Quid? quod sine hominibus ne humano quidem modo frui, neque omnino homines esse possimus.

Æque perspicuum est & clarum, quod hæcce, ad quam nos incitat natura, inter homines conjunctio, si vel oriri, attamen constare non poterit & manere, nisi abjecta ruditate ferina, atque ita cohibito libidinum uniuscujusque impetu sævo, ut illis, quæ poscere queant, quibuscum vivere quisque velit, locus relinquatur. A feritate ergo ad humanitatem progrediendum homini esse, a bruta ad altiorem indolem adscendendum, initio hocce luculenter significat natura.

§. 6.

Ex ipsis hisce jam nominatis animalis naturæ humanæ initii nulla quidem vitia neque oriuntur, neque oriri possunt. Operantur namque instinctuum more modoque, &, per se spectatae, ex mechanismi legibus agunt, omnemque vim exserunt suam. Continent e contrario prima naturæ hæcce præbentque semina & incitamenta virtutis quam plurima. Sic e. gr. illa, quam natura tibi insevit, ad societatem cum aliis appetitio, quid secum fert, nisi illud ipsum, quo nihil est in omni honesto magis illustre, & quod latius pateat, »ipsam cari-

caritatem generis humani, quæ nata a primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur & tota domus conjugio & stirpe conjungitur, serpit sensim foras, cognationibus primum, tum affinitatis, deinde amicitiis, post vicinitatibus; tum cibibus, & iis, qui publice socii atque amici sunt deinde totius complexu gentis humanæ» (e), & ex qua, naturæ si convenienter vivas, consequitur, ut communem utilitatem tuæ anteponas, atque ut homo quisque, ob id ipsum, quod homo sit, tibi alienus videri non possit?

Ast vero accidente, quod in homine liberum, soluta pollet eligendi optione, atque potestate ex regulis, quas sequendas ipsum sibi proposuerit, agendi, arbitrio, varia his initii inseri possunt & quasi inoculari vitia; sicubi nempe arbitrium apud semet constituerit consilium, impetu, qui animali hominis naturæ debeatur, cuidam obsequendi, idque neglecto omni, qui instinctui ipsi subesse possit, finis respectu. Et quandoquidem jam homo, ita agendo, primitivam naturæ suæ ruditatem, ex qua principium modo capit existentia hominis (sed ex qua humanitas liberi opera progerminare debet) finem, quo tendat, sibi proponit, eoque pecus brutum ex semet ipse qui-

---

e) V. CICERO de finib. Bon. & Mal. Lib. V. Cap. 23.

quidem sponte sua efficit; idcirco hæc vitia, quæ, per liberi operam arbitrii, ex animali hominis natura excrescent, *vitia ruditatis*, vel *vitia belluina* haud inepte dicuntur.

Ex aberratione igitur a fine instinctus, quo ad nosmet ipsos conservandos impellimur, profecta vitia, in immodico illorum usu cernuntur, quæ, physicis convenientia necessitatibus nostris, natura suppeditatur benefica. Qui nempe majori copia alimentorum, quam homini opus sit, intemperans fruatur, adeo quidem individui conservationem non promovet, ut eidem potius repugnet. Multa nempe non eget demonstratione veritas, violentia ingluvieque serius ocyusve infringi vires physicas, vitamque animalem ipsam pericitari.

Contraria scopo, appetitui procreandi &c, naturali, proposito, est voluptas. Ubi nempe, belluae semet æquans, homo appetentiæ commercii sexuum mutui stimulis, in homine, ultra quam in bruto, præsentibus, indulget, & veneri vagæ amoribusque se permittat meretriciis; facilis appareat negotio, rumpi conditiones, sub quibus conservationi generis humani aptissime possit consuli: quas in fædere conjugiali rato perpetuoque positas esse, liquet. — Dicamne potestatem hominis, instinctu procreandi præ bruto turpiter abu-